

95 Veritates eo devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque christianis, & modus eas prædicandi est veluti idioma incognitum: adeò remotus est à simplicitate Apostolorum, & supra communem captum fidelium. Neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maximè sensibilibus senectutis Ecclesiæ, & iræ Dei in filios suos.

96 Deus permittit, ut omnes potestates sint contrariæ prædicatoribus veritatibus, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divinæ gratiæ.

97 Nimis sæpè contingit, membra illa, quæ magis sanctè, ac magis strictè unita Ecclesiæ sunt, respici, atque tractari tanquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tanquam ab ea separata: sed justus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.

98 Status persecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat tanquam hæreticus, flagitiosus, & impius, ultima plerumque probatio est, & maximè meritoria, ut potè quæ facit hominem magis conformem Jesu-Christo.

99 Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo, aut aliquid examinare, aut cognoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie, quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in sua Ecclesia possuit, ut in ea esset odor vitæ; v. g. bonos libros, instructiones, sancta exempla, &c.

100 Tempus deplorabile, quo creditur, honorari Deus, persequendo veritatem, ejusque discipulos. Tempus hoc adventit: Haberi, & tractari à Religionis Ministris, tanquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumperendi omnia in Societatem Sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, persequendo flamma, ferroque viros probos, si propria passione est excecatus, aut abreptus aliena, propterea, quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium, & sacrificamus diabolo Dei servum.

101 Nihil spiritui, & doctrinæ Jesu-Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere, ut nomen, & veritas Dei aliquando deserviant Consilio impiorum.

130 Vix quidem ab ingratitude, vel saltem stupiditatis nota excusari possem, si hic referre omitterem honorificentissimum Breve, quo hujus Bullæ occasione Supremus Ecclesiæ, Princeps Universitatem Salmantinam à calumnia sibi immerito inusta merito vindicavit.

DILECTIS FILIIS
Rectori, Professoribus, ac Moderatoribus Universitatis Salmanticensis.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecti filii, salutem, & Apostolicam benedictionem. Etsi præclara, & sanè vetus animoque nostro altius infixæ opinio, quam gerimus de syncera, incorruptaque celebris Universitatis Salmanticensis Religione, facile Nobis persuaserit, rumorem adversus illam à Novatoribus, quorum os felle, & amaritudine plenum est, impudentè disseminatum, quoad Apostolicam nostram Constitutionem, cujus initium est, Unigenitus Dei Filius, omninò à veritate alienum esse: nihilominus perlibenter accepimus, ac legitimè Epistolam vestram die 19. præteriti mensis Augusti ad Nos datam una cum illi adjectis documentis, quibus non modo calumniam vobis inustam perspicuè diluistis, verumetiam universo Catholico Orbi luculentè restatam facitis egregiam vestram in sana doctrina tuenda constantiam, inconcussamque obedientiam definitionibus Supremæ Cathedræ Beati Petri, in qua idem gloriosus Apostolorum Princeps vivit adhuc, & præsidet, præstantibus fidei veritatem. Repleti itaque sumus consolatione, & super abundavimus gaudio, cernentes vos firmitèr adeò illustribus majorum vestrorum vestigiis, ac exemplis insistere, quorum præstanti virtuti, perpetuoque in hæc Sanctam Sedem studio, satis constat, magna ex parte deberi singularem illam, & planè insigne prærogativam inclytræ Hispanicæ Nationi concessam: quod scilicet ipsa tot sæculorum decursu ab omni hæresis labe se immunem, inviolatamque servaverit: adeoque splendidum, & gloriosum Catholicæ titulum merito adeptæ fuerit. Debitis propterea lau-

laudibus vos, dilecti filii, in Domino prosequentes, paternè vos adhortamur, ut avita decora, nominisque vestri dignitatem constanter tueri pergatis, ac ab Academia vestra, quàm diligentissimè arcere curetis profanas vocum novitates, quibus iniquitatis filii miseris hisce temporibus vetustatem incessere omni ope nituntur, quasi Evangelium Christi, ut inquit Apostolus convertere paulatim velient. Id porò de perspecta pietate, eximique Sapientia vestra nobis abundè polliciti planè confidimus, fore, ut exempli vestri autoritate in dies magis confundantur, ac erubescant, qui supra ipsam Supremam Cathedram caput attollere procacitèr audent, nec intelligunt, se Magistros effici erroris, dum Christiana humilitate fieri indignantur discipuli veritatis. Omnipotens Deus dirigat vias vestras in beneplacito suo, ac omnia vobis lata, atque secunda largiatur, quibus Nos paternæ nostræ charitatis testem Apostolicam benedictionem permanentèr impartimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam-Majorem sub annulo Piscatoris, die 12. Octobris 1716. Pontificatus nostri anno XVI.

Post sigillum.

Joannes Christophorus Archiepiscopus Amasie.

131 Demum quamvis propositiones à Summis Pontificibus damnatas nec docere, nec practicare possimus, eas tamen ad impugnandum adducere, vel ob oculos apponere, ut tanquam cibus prohibitus, & infectus vitentur, licitum, & laudabile est: quin & omninò licet eas in bono sensu, & juxta Doctorem sententias interpretari, ut aurum ab scoria separaretur: ita tamen ut potius de mente Legislatoris, quam de verborum cortice curetur. Ipsæ namque tantum prout jacent, sunt damnatæ: unde si aliquid addatur, vel detrahatur, adeò, ut sanus, verus, & Catholicus sensus maneat, sustineri utique debent. Et licet solum damnatæ sint propositiones prout jacent, ita ut earum sensus accipiatur cum proprietate Theologica, & ut sonat in communi vocum explicatione: tamen si fortiori ratione aliæ improbandæ veniant, impracticabiles profecto sunt: nam si marito uxorem in adulterio deprehensam occidere illicitum est: nonnè licitum erit sponso occidere sponsam sic deprehen-

sam? Propositio, ex qua legitimè intertur damnata, manet antiquata; secus est si per varias tricas inferri videatur. Ad salvandam propositionis damnationem, sufficit, quod contradictoria ejus verificetur. Quando propositio est copulativa regularitèr singula membra reprobantur, nisi alia sit Pontificis mens, & constet, quod potius copulatio, quam quodlibet membrum sigillatim, damnetur. Quando aliquid illicitum à Pontifice declaratur, debet attendi gravitas, vel levitas materiæ, ut secundum eam peccatum mortale, vel veniale adstruatur: nam aliquando veniale non excedet, si aliqua propositio in praxim deducatur: ut facile ex Propos. 9. damnata ab Innoc. XI. liquet: quamquam semper grave sit autoritatem alicujus Pontificis Decreti contemnere. Et sic intelligitur, quod in ipsis habetur, quando prohibetur in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini judicii, ne quis prædicarum opinionum aliquam in praxim deducat. De justitiæ damnationis dubitare insanire profecto esset: nobis enim sat erit respondere: ille dixit, qui stateram veritatis in manu portat. Si de propositionis sensu dubites, consulte Interpretes, quod de eis abundè scripserunt, scilicet, *Castro, Cardenas, Gutierrez Hurtado, Vivou, Fontayne, &c.*

TIT. VIII.

De Schismaticis, & ordinatis ab eis.

132 **S**chisma, ait *Text. in cap. 34. 24. q. 1. quod Græcum nomen est, scissuram sonat. Idem est juxta Nebrissensem, qui dicit schisma interpretatur scissura. Hispanè: Cisma, divisió, seu discordia. Sicque communiter definitur: Est divisió, seu discessio ab unitate Ecclesiæ, quatenus hæc est Corpus mysticum constans ex Romano Pontifice, tanquam ex Capite, & universis fidelibus tanquam membris. D. Thom. 2. 2. q. 39. art. 1. Gonzalez in cap. 2. h. t. n. 4. & alii. Et sanè schisma gravissimum peccatum est, quia quantum est ex se unitatem Ecclesiæ scindit: quæ malitia tota reperitur in quacumque re fiat recessus ab Ecclesiæ unitate, ac proinde materiæ parvitatem non admittit. Et quam detestabile sit hoc crimen satis colligitur ex pœnis, quas*

quas Deus ob illud infixit Chore, Daten, & Abiron, quos terras vivos absorbit, quippe qui à Summo Sacerdote Aaron se abalienarunt. *Num. 16.* Et licet schisma absolute possit sine hæresi inveniri, si nempe solum sit contra charitatem, & pacem, & non contra fidem: quando scilicet aliquis ex sola malitia non vult Romano Pontifici obedire: regulariter tamen cum hæresi conjungitur, *cap. 26. 24. q. 3. ibi: Ceterum nullum schisma non aliquam sibi contingit hæresim, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur.* Schisma enim est quasi hæresis inchoata, ita ut si inveterescat, in hæresim demum degeneret. Schisma ergo differt ab hæresi præcipue in eo: quod hæresis per se, & directè fidei opponitur, aliquem articulum negando, vel de eo positivè dubitando. Schisma autem charitati opponitur Ecclesiam tollendo unitatem, *cap. 34. 24. q. 1. D. Thom. 2. 2. q. 39. art. 1. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 36. num. 7.* Hinc est, quod si unitas non præcedit, non potest schisma sequi. Et hac ratione Judæi, & infideles non possunt in schisma incidere: quippe nunquam habuerunt unitatem Ecclesie. Sicut enim seditio dissensionem in corpore Politico inducit, sic schisma in corpore Ecclesie mystico divisionem facere intendit. Hinc Schismaticus est qui pertinaciter recedit ab obedientia Romani Pontificis, quem credit, esse Christi Vicarium, & Caput Ecclesie, ei quidem negando obedientiam, & reverentiam debitam, & ab aliis fidelibus Ecclesie membris se dividit, & sejungit. Et quamquam Ecclesia, quæ unica profecto est; revera non possit recipere divisionem in duas, *cap. 18. 24. q. 1.* possunt tamen Ecclesie membra se ab illa dividere, & hoc est facere schisma, ut ait Saurez. Schismatici equidem sunt, qui absque consensu R. Pontificis congregare Concilium Generale præsumunt; vel si illud prosequantur, postquam legitime est dissolutum. Schismatici similiter sunt, qui appellant à Papa ad Concilium Generale, ut Superius Papa. Qui verò ad Concilium Generale, cui Papa præsit, ut ejus caput appellant, non sunt Schismatici, quia à Papa ad Papam appellant: hoc tamen prohibitum est in *Bull. Cæn. cas. 2.* Sic Catholici, qui in Anglia Regi exhibent obedientia signa, quibus cum esse Vicarium Christi in spiritualibus profitentur, sunt Schismatici licet interius non credant, sic esse: quia schisma in opere externo consistit, quo quis ab unitate Ec-

clesie se sejungit. *Suar. de Cens. D. 21. sect. 2. n. 13. Sanch. in Decal. L. 2. cap. 36. num. 14.*

133 Qui ab obedientia unius Episcopi recedit, si adhuc in Pontificis obedientia perseverat, non dicitur Schismaticus, nisi impropre, & lato modo ut in *cap. 7. 7. q. 4. 1.* Nec qui Papæ obediri recusat in temporalibus; quia ut Dominus temporalis non est caput Ecclesie. *Gonz. in cap. 2. b. t. num. 4.* Nec qui non præstat obedientiam, quando duo sunt Pontifices electi, & non constat, quis legitimus sit: dum sit paratus obedire, ei quem Concilium Generale, quod tunc congregandum est, esse Pontificem declarat. Nec qui ipsi Pontifici, non vult obedire, in odium, & vindictam illius, quia ejus persona ei videtur suspecta, vel odiosa. *Azor p. 1. L. 8. cap. 20. q. 4.* Qui contra Papæ præceptum, vel prohibitionem non obedit, inobediens, non tamen Schismaticus erit, alias violatio cujuslibet præcepti Ecclesiastici schisma esset: quod est falsum, quia adhuc potest Pontificem, ut caput Ecclesie recognoscere. *D. Thom. 2. 2. q. 39. art. 2.* Qui peccat graviter, licet sit membrum mortuum, non tamen se separat ab Ecclesie unitate, quæ in fide, & usu Sacramentorum cum debita ad Pontificem subjectione consistit. Qui excommunicatus est non se separat, sed separatur ab Ecclesia, ac proinde, nec peccator, nec excommunicatus sunt Schismatici. *Farin. Prax. q. 184. ex n. 24.*

134 Schismatici impropre tales nullam poenam incurrunt. Qui verò proprie Schismatici sunt, etiam si non sint hæretici, has poenas incurrunt. 1. excommunicationem majorem, *cap. 5. D. 19.* quæ est ipso jure lata, & reservata Pontifici in *Bull. Cæn. cas. 1.* quæ non extenditur, quia constitutio odiosa est, ad fautores, defensores, & receptatores schismaticorum, quia de eis non loquitur expressè. *Suar. de Cens. D. 21. sect. 2. ex n. 12. Sanch. in Decal. L. 2. cap. 36. n. 16.* incurrunt tamen excommunicationem non reservatam, *cap. un. b. t. in 6. 2.* Schismatici incurrunt infamiam (& quidem tantum facti) ob criminis enormitatem: non verò infamiam juris: quia in jure non exprimitur: ac proinde cessat, vel non inducitur crimine per poenitentiam delecto. *Barb. in cap. 1. b. t. n. 5. Suar. de Cens. D. 43. sect. 2. n. 7. Sanch. in Decal. L. 2. cap. 36. n. 20. 3.* privantur jurisdictione Ecclesiastica, saltem post declaratoriam cri-

TIT. IX.

De Apostatis, & reiterantibus baptisma.

135

Apostasia Græcè rebellionem, vel renuntiationem significat. Apostata ille dicitur, qui retrocedit ab eo, quod incæpit juxta Nebrissensem; ex *D. Aug. in cap. 16. 26. q. 7.* apostatam retrocentem interpretatur. Apostasia est triplex. Apostasia à fide: 2. à Religione: 3. ab Ordine. Apostasia à fide, quæ etiam perfidia apostasia dicitur, est quædam totalis cæssio fidei in baptismo susceptæ: cum quis; v. g. sit Judæus, Paganus, Maurus, vel Atheista, *cap. 24. 2. q. 7. cap. 7. 3. q. 4. L. 1. & 2. cap. b. t. Hispanè dicitur: Renegado.* Differt ab hæresi: nam hæc est recessus à fide in parte. Apostasia verò, est recessus in totum, ac proinde omnis Apostata hæreticus est, non verò è contra. Qui per vim præcisim, & absolutam circumcidatur, vel idolis sacrificat, non est apostata quia ille potius patitur, quam agit, *capit. 32. D. 50.* Qui verò per metum, etiam mortis, à fide recedit, vel idolis sacrificat, grave peccatum committit contra fidem, quæ etiam exterius profiteri debet. *Matth. 10. n. 33. ibi: Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo, & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis est.* Cum tamen corde fidem retineat, absque error, & pertinacia, non est apostata in foro interno, nec excommunicationem apostatarum incurrit. *Azor, p. 1. L. 8. cap. 21. q. 5. Sanch. in Decal. L. 2. cap. 7. n. 8. Gonz. in cap. 4. b. t. n. 5.* in foro tamen externo habetur pro apostata, & ut talis punitur. *Can. 61. Apostolorum, & alibi.* Tales ergo apostata, & eorum fautores, receptatores, &c. excommunicantur, cæterisque poenis in Hæreticos, & eorum fautores, &c. latis puniuntur, *cap. 13. de Heret. in 6. vivi in perpetuum possunt accusari, & post mortem usque ad quinquennium. L. 2. L. 4. C. b. t. Azor, p. 1. L. 8. cap. 21. q. 7. Sanch. in Decal. L. 2. capit. 7. n. 18. Gonz. in cap. 4. b. t. n. 6.*

136 Apostata à Religione sunt, qui Religionem omnino deserunt sine animo ad eam redeundi, ut diximus in *tit. de Regular.* Nec mirum est, quod in domibus Religiosis, ubi sunt scholæ perfectionis, aliquis ab itinere recto in viam decli-

nēt. Nam inter Apostolos Judas: in Arca Noe, in domo Abraham, & in domo Jacob aliqui reprobi sunt inventi, *cap. 9. D. 47.* Religiosi apostatae, ipso quidem facto excommunicantur post habitum dimissum, *cap. 2. Ne Cler. vel Monach. in 6.* qui verò habitum non dimiserunt, licet sint excommunicandi, non tamen sunt ipso jure excommunicati. *Greg. XIII. in Bull. Ascend. Sanct. in Decal. lib. 6. cap. 8. n. 11. & 20. 2.* Suspenduntur ab exercitio Sacrorum Ordinum, quos durante apostasia susceperunt, non verò eis interdicitur usus ordinis cujusque apostasiam recepit. Hæc suspensio perpetua est, nisi Papa dispenset, duratque etiam post poenitentiam peractam, *cap. fin. b. t.* Si verò nullum ordinem in apostasia ipse recipiat, & postea ad Religionem redeat, poterit ad omnes Ordines promoveri, & in susceptis ministrare. Si verò Minoris Ordines suscepit in apostasia, poterit cum eo Episcopus dispensare. *Sanct. in Decal. lib. 6. cap. 8. ex n. 24. 3.* Omnia Religionis privilegia amittunt: non tamen nisi dimisso habitu, & secuta sententia criminis declaratoria. *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 19. Sanct. in Decal. lib. 6. cap. 8. n. 34.* possuntque Prælati apostatas, & fugitivos, ubicumque sint, persequi, & deprehensos capere, etiam brachio sæculari invocato, & hoc expressè est concessum nostræ Societati. Nec ob solam apostasiam subduntur Tribunali S. Inquisitionis, nisi matrimonium contrahant tales apostatae. Nam tunc per Inquisitores ponuntur, ut ex Edicto Inquisitionis constat, *num. 8. Gonzal. in cap. fin. b. t. n. 6. in fin.* Denique debent Prælati apostatas, juxta uniuscujusque Religionis Constitutiones, punire, & sub gravi custodia incarcerare, ita quod *solummodo vita sibi misera reservetur, donec à sua presumptionis nequitia respiscat, cap. 5. b. t. & forte sæpe erit necessarius hic rigor ad tam improbos homines reprimendos, quia ut ait August. in cap. 9. D. 4. Quomodo difficile sum expertus meliores, quam, qui in Monasteriis profecerunt: ita non sum expertus peiores, quam, qui in Monasteriis ceciderunt.*

137 Apostata ab Ordine est non quidem ille, qui deserit Ordinem Religionis: nam talis apostata à Religione dicitur: sed qui, Ordinem Clericalem deserit: ille scilicet qui in Sacris Constitutus ad statum laicalem, matrimonium, vel militiam, propria autoritate transit, relicto ordine suo, & dimisso habitu, ac

tonsura. Qui verò est in minoribus Ordinibus constitutus, etiam cum beneficio solum latè potest apostata dici: Tales apostatae, quando constat de apostasia ab Ordine, & statu Clericali: 1. amittunt privilegium Canonis: sicque, si Clericus dimisso habitu, & tonsura ab Episcopo ter monitus non respuerit, illum percutiens, non incurrit excommunicationem Canonis, *cap. 25. de Sentent. excommun. 2.* excommunicantur excommunicatione majori sententiæ ferendæ, *cap. 3. b. t. nisi de facto contrahant matrimonium: nam tunc ipso facto excommunicantur. Cl. in de Consanguinit. Nullibi tamen invenitur reservata hujusmodi excommunicatio: 3. fiunt infames, & irregulares, infamia quidem non juris, sed tantum facti: quæ proinde per poenitentiam tollitur.*

138 Quando non constat de apostasia, sunt tamen aliqui graviter diffamati: tunc probatione deficiente, compelluntur tales se canonicè purgare, & si purgationem non præstent pro convictis habentur, *cap. 3. b. t.* Et habitum reassumere, etiam per incarcerationem: coguntur: donec respiscant à suæ presumptionis nequitia, *cap. 5. b. t.* In secunda parte Rubricæ agitur de reiterantibus baptisma. Hi enim variis poenis puniuntur. Nam scienter rebaptizans, & rebaptizatus, nullo dubio præcedente de baptisimi valore, fiunt irregulares. *L. 20. tit. 6. p. 1. Imò, & Acolytus, Subdiaconus, & Diaconus, qui baptizanti ministrant, fiunt irregulares, si crimen Acolyti sit publicum, cap. 2. b. t. si crimen publicum est, solus Papa: si occultum, etiam Episcopus in tali irregularitate dispensat. Trident. sess. 24. de Reform. cap. 6. Barbos. cap. 2. b. t. & alii com. Jure Civili tam rebaptizans, quam rebaptizatus poena capitali plectuntur. L. 2. C. Ne Sancti. Baptism. iteretur.*

TIT. X.

De His qui filios occiderunt.

139 **P**arricidium quasi parenticidium, vel parentum cædes in genere est homicidium impie commissum in personas conjunctas. Aliud est propriè tale, scilicet, quando liberi, nepotes, aut alii descendentes per lineam rectam, etiam naturales tantum, & illegitimi, aut spurii, (*Greg. Lop. in L. 12. b. t. 8. p. 7. & alii.*) Occidunt parentes, avos, aut alios ascendentes per li-

neam rectam; vel è contra, quando parentes, avi, vel alii ascendentes occidunt filios, nepotes, &c. *L. un. C. de His, qui parentes, vel liber occider. quod etiam extenditur ad vitricum, & novercam occidentes: privignum, vel privignam, vel è contra. Farinac. Prax. Crim. quæst. 120. n. 111.* Licet enim antiquitus ex Lege Regia liberam parentes, in filiorum vitam, potestatem haberent. *L. fin. C. de Patria potest.* Hæc lex, ut inhumana abrogata fuit. Patria enim potestas, non in autoritate, sed in pietate debet consistere. *L. 5. ff. ad Leg. Pompejam, de Parricid.* Jus enim vitæ necesse sibi soli Deus reservavit. Aliud est parricidium improprie tale: quando scilicet, occiditur consanguineus collateralis, vel affinis, usque ad quartum gradum; v. g. frater, soror, etiam ex parte patris, vel matris tantum conjuncti, patruelis, consobrinus, patruus, avunculus, &c. Maritus, uxor, sponsus, vel sponsa, socer, aut socrus, gener, vel nurus. Etiam in Lege Pompeja comprehenditur libertus occidens patronum, vel patronam, &c. *L. 1. ff. ad Leg. Pompej. de Parricid. Jul. Clar. §. Parricidium. Farinac. Prax. Crim. q. 120. ex n. 105.* Non censetur parricida, nec ut tales puniuntur liberi; qui ad se defendendum, parentes occidunt cum moderamine inculpatae tutelæ. *L. 3. ff. de Just. & jur.* Nec si ad patriam defendendam filius patrem per duellum, vel è contra occidat: nam Jus Commune patriæ prævalet particulari sanguinis, quinimò tales præmio sunt afficiendi. *L. 35. ff. de Religios. & sumpt. funer.* Nec sunt parricida filius expositus: nam tunc cessat patria potestas: nec adoptivus, quia cessat conjunctio sanguinis, vel si filius furiosus, vel patrem ignorans illum occidat. *Farinac. q. 120. ex n. 181. Menoch. de Arbitr. cas. 356. n. 28.*

140 Parricidarum poena olim ulla erat statuta, eo quod Solon non crederet quod tam abominandum scelus, ab aliquo esset perpetrandum. *Senec. L. 1. de Clement. Gonz. in c. fin. b. t. n. 2.* Et ideo ob criminis immanitatem ejus accusatio perpetuatur: nec ullo unquam tempore etiam immemoriali ejus poena præscribitur. *L. fin. ff. ad Leg. Pomp. de Parricid.* Hodie Jure Canonico est arbitraria: severius tamen, quam ceteri homicidia puniendi sunt. *c. 19. de Penit. D. 1. sed in hoc foro jam non solet puniri hoc delictum, sed reus Judici Sæculari traditur, premissa degradatione, si*

Tom. II.

Clericus sit. *Farinac. Prax. Crim. q. 120. n. 21. Justinianus. in §. 6. Inst. 1. de Publ. Judic. ait: Alia deinde Lex asperrimum crimen nova poena persequitur, quæ Pompeja de Parricidis vocatur: quæ cavetur, ut si quis parentis, aut filii, aut omnino affinitatis, ejus qua nuncupatione parentum continetur, facta preparavit, sive clam, sive palam, id ausus fuerit, necnon is, cujus dolo malo id factum est, vel consensu criminis existit, licet extraneus sit, poena parricidii puniatur, & neque gladio, neque ignibus, neque ulli alii solenni poenæ subiciatur, sed insutus culeo, cum Cane, & Gallo gallinaceo, vipera, & similia, & inter eas ferales angustias comprehensus (secundum quod Religionis qualitas tolerat) vel in vicinum mare, vel in antrum projiciatur, ut omnium elementorum usu vicus carere incipiat, & ei celum superstiti, & terra mortuo auferatur.* Postea imperator subjungit poenam parricidii improprie, ibi: *Si quis autem alias cognatione, vel affinitate personas conjunctas necaverit poenam Legis Corneliae de Sicariis sustineat.* Idest poenam capitalem. *L. 9. §. 1. ff. ad Leg. Pomp. de Parricid. & quidem eadem poena, quæ filio patrem occidenti imponitur, imponenda est (quæ quidem est poena ordinaria homicidii.) Parenti si filium occidat, abrogata antiqua impunitate, & potestate, qua liberè parentes de vita filiorum disponebant. L. unic. C. de His, qui parent. vel liber. occider. Hæc poena adhuc est in usu in nostra Hispania, mitigata tamen ob ingenem nostræ Nationis pietatem: nam reus prius interficitur, & culeo inclusus, ubi animalia dicta depinguntur, projicitur à Ministris Justitiæ in flumen, sed vix cadaver aquam attingit, quando extrahitur, ut sepeliatur à Ministris misericordiam, qui sunt Confratres variarum confraternitatum, & regularitè tales sunt nobiliores equites Civitatum, qui opera misericordiam cum magno Populi Christiani exemplo exercent. *Anton. Gomez Var. lib. 3. cap. 3. n. 4. & sic vidi practitari Toleti. Quæ praxis potest fundari in L. 46. tit. 13. lib. 8. R. C. Ubi rei, qui sagittis debent occidi à Judicibus, quos Hispanè dicimus: De la Hermandad. Debent prius, quam sagittæ infigantur, suffocari. Et tunc in Hispania reus occiditur morte, quam dicunt: De garrote; & postea sagittæ in cadaver emittuntur. Et sic etiam vidi practitari. Poena autem parricidii in nostra Hispania plus extenditur, quam de Jure Communi; nam ea**

Dd

te,

tenentur ascendentes, qui occidunt descendentes, usque ad pronepotem inclusivè, & è contra: item frater fratrem, vel avunculus nepotem, vel è contra: vel conjux conjugem, aut socer generum, vel nurum, vel è contra: vitricus privignum, & è contra: & liberi patronum injustè occidentes armis, vel veneno. Dans consilium, vel adjutorium ad hos accidendos, licet non sit mortuus sanguineus: & emens venenum ad patrem occidendum, parricidarum poena tenentur. *L. 12. tit. 8. p. 7.* Qui emittit venenum, ut filius illud patri det, etiamsi filius illud ex aliquo occidenti dare non possit, ut parricida punitur. *C. 7. ff. ad Leg. Pomp. de Parricid.* Nam in atrocissimis criminibus, affectus, & conatus pro effectu puniuntur: quando conatus ad actum proximum accedit: ita ut non stet pro delinquente quominus effectus sequatur, quod absudbio in nostra Hispania procedit. *L. 12. tit. 8. p. 7. ibi: E aut decimos, que si alguno comprare yerbas, o ponzoña para matar à su padre, è de que las ha compradas se trabajasse de gelas dar, maguer non gelas pueda dar, nin cumplir su voluntad, nin se le aguisasse, mandamos que muera por ello, tambien como si gelas oviese dado, pues que non fino por el.*

141. Procurantes abortum, sivè directè, sivè indirectè, sivè per se, sivè per alium, vel consilium, auxilium, vel favorem prestantes, si fetus sit animatus has poenas incurunt, etiam ante omnem Judicis sententiam: & etiamsi delictum occultum sit. 1. Irregularitatem. 2. Excommunicationem. 3. Inhabilitatem ad beneficia obtinenda, & licet Gregorius XIV. solum Episcopo, vel confessario delegato ab ipso reservet in foro conscientie absolutionem ab excommunicatione, abrogando strictissimam reservationem, quam ex constitutione Sixti V. habebat. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 51. n. 136.* Tamen neque in inhabilitate, neque in irregularitate potest Episcopus dispensare, ne quidem ex *Trid. sess. 24. de Reform. cap. 6.* quia hæc irregularitas provenit, ex homicidio. Insuper, quando Clerici in hoc delinquant, & delictum publicum est, & non alias, privantur Beneficiis Ecclesiasticis antea obtentis, & privilegio Clericali, & deponuntur, & degradati traduntur brachio Seculari puniendi, non expectata alia incorrigibilitate: *arg. c. 10. de Judic. c. 6. de Pœnis.* Poena statuta à

Sixto V. in *Constit. Ad effrenatam* in procurantes abortum, quando fetus nondum erat animatus abrogata sunt à Greg. XIV. in *Constit. Sedes Apostolica*, &c. Fœtus, si masculus sit, quadragesimo, si foemina, octogesimo die animatus ex communi Medicorum censetur. *Gonz. Var. lib. 3. cap. 3. n. 32. Farinac. q. 122. ex n. 139. Menoch. de Arbitr. cas. 357. n. 3.* & idè Innoc. XI. hanc propositionem, quæ est 35. damnavit. *Videatur probabile omnem factum quamdiu in utero est vivere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.*

142. Mater, quæ abortum procurat, si factus est animatus, eumque interimit postquam in lucem editus est, verum parricidium committit; nisi tamen puniatur si in utero necavit, poena tamen capitali semper plectenda est. *L. 39. ff. de Pœnis.* Si verò adhuc non est animatus poena arbitraria; v. g. exilii, fustigationis, &c. puniatur mater abortum procurans. *Menoch. de Arbitr. cas. 357. Clar. S. fin. q. 68. n. 2.* Nec licet abortum, quocumque casu, vel causa procurare. Et hinc Innoc. XI. damnavit hanc propositionem, quæ est ordine 34. *Licet procurare abortum ante animationem factus, ne puella deprehensa gravidâ occidatur, aut infametur.* Si parentes non sine culpa, sine dolo tamen, filios occidunt opprimendo eos in somno, vel alias preter intentionem, si constat à quo ex parentibus est occisus infans, poena ordinaria simplicis homicidii ipse plectitur. *c. 20. 2. q. 5.* quia infansem in communi lecto collocando parentes huic periculo cum exposuerunt. Si ignoretur, à quo sit occisus poena est arbitraria, sublata jam poenitentiam trium annorum, quorum unus erat in pane, & aqua transigendum: de qua *in c. fin. b. t.* in cuius locum hic casus in aliquibus Diocessibus reservatur. Si oppressio careat culpa: quia infans alias implacabilis, vel aliter, à frigore nequeat defendi, quam si in communi lecto collocetur nulla poena infligitur. *Navar. in Man. cap. 15. n. 19. Barbos. in c. fin. b. t. num. 2.*

TIT. XI.

De Infantibus, & Languidis expositis.

143. **G**Rave peccatum, inhumanum, & parricidium proximum est, exponere casui, & fortunæ filios infantes, id est, septennio minores, vel languidos cujuscumque ætatis, id est laboratos gravi, & diuturna, præsertim incurabili, & perpetua infirmitate. Nam etiamsi hoc non fiat, ut infans pereat, sed ut ab alio alatur, & educatur: tamen mortis periculo exponitur, quia ignoratur, an aliquis eum assumet, antequam moriatur. Et sic contra pietatis officium deseritur, & quasi necatur. *L. 4. ff. de Agnosce. alend. liber. L. fin. C. b. t. c. un. b. t.* Nullam tamen culpam, nec poenam incurrit si pater, vel Dominus, qui ob egestatem nequeunt infansem, vel languidum sustentare, ad eos alendos, exponant in locis publicis, ad hoc destinatis, ut sunt Hospitalia, & Orphanotrophia. *Gonzal. in cap. un. b. t. n. 10. in fin.*

144. Si infans, vel languidus in loco solitario; v. g. in sylva exponatur, & ibi pereat à feris dilaniatus, vel fame, vel frigore, illum exponens capite plectitur; *arg. L. 4. ff. de Agnosce. & alend. liber. Gregor. Lop. in L. fin. tit. 20. p. 4. V. Echardos.* Si verò in loco publico; v. g. foro, vel via exponatur, etiamsi ibi præter intentionem moriatur, illum exponens satis fustigatione, vel alia simili poena plectitur. Si tamen expositus reperitur vivus, sufficit, si exponenti sine necessitate, vel causa relegatio, vel alia mitiori arbitrio Judicis poena infligatur, si ex necessitate exponat; v. g. ob egestatem, non imponitur poena, quia non datur culpa. *Menoch. de Arbitr. cas. 396. n. 5. Gonz. in cap. un. b. t. n. 10. Prætereà in cap. un. b. t. ait Greg. IX. si à patre sivè ab alio, sciente ipso, aut ratum habente (relegato pietatis officio) infans expositus extitit: hoc ipso à potestate fuit patria liberatus. Nam & hoc casu in ingenuitatem libertus, & servus in libertatem eripitur. Quod & de predictis cujuscumque ætatis languidis, si expositi fuerint, vel si alicui eorum alimenta impie denegari contigerit, est dicendum. Sanè qui hos suscipiunt, non possunt propter hoc, in*

eorum personis jus aliquod vendicare. Et merito. Nam educatio non est adoptio, nec aliud jus dat, quam ad repetendum à parentibus expensas in alimenta, & educationem factas. *L. 3. tit. 20. p. 4. Barbos. in cap. un. b. t. n. 8.* nisi ex officio, pietate, vel liberalitate factæ sint. Et licet parentes exponentes filios patriam in eos potestatem amittant. *L. fin. tit. 20. p. 4.* Quatenus filius est onerosa: quia eos pro derelictis habent: quatenus tamen filius est favorabilis patria potestas eam retinent parentes, & ab eis alimenta possunt petere, eisque succedere valent. Non tamen parentes filius sic expositus valent succedere, quia cum filium judicaverint indignum ipsi profectò indigni facti sunt, omnique utilitate carere debent, *cap. un. b. t. L. 2. L. 3. L. 4. C. Eod. si invitis, vel ignorantibus parentibus infans sit expositus, non amittunt patriam potestatem, quia culpa caret, & cum ubicumque inventiant reperere valent, expensis tamen solutis: imò pater actione furti agere potest. L. 14. §. 13. ff. de Furt.*

145. Expositi & alii, quorum parentes ignorantur, cum dubium sit, an legitimi, vel illegitimi sint: nam, & legitimi sæpè exponuntur, vel ob egestatem parentum, vel ob alias causas, ut de Moyse, Cyro Paride, Semiramide, & aliis constat, apud *Gonz. cap. un. b. t. n. 8.* pro legitimis habendi sunt. Nam in dubiis interpretatio favorabilior proli sumenda est. Sic *Menoch. de Præsumpt. lib. 6. q. 54. n. 20. Barb. & Gonz. hic n. 8. Pom. & alii.* Pro illegitimis tamen habendos, tenet *Covar. in Clem. Si furiosus, p. 1. in pr. n. 9. Salcedo, & alii: sed Suar. de Censur. D. 50. sect. 4. n. 4.* utramque sententiam dicit probabilem. Tales ergo expositi non sunt cogendi suam legitimitatem probare, quia pro eis stat præsumptio possuntque ad ordines, etiam sine dispensatione, nisi forte ad cautelam, promovèri: Non tamen possunt promovèri ad Dignitatem, Canonicatum, Officium Inquisitionis, Collegium, vel Officium, quod requirit nobilitatem: nam hæc cum non sit qualitas, quæ communiter inest; non præsumitur, nisi probetur, quam quidem expositi, qui certò parente carent, probare nequeunt. *Lara de Capel. lib. 2. cap. 4. Escob. de Pœnit. Sang. p. 1. quest. 8. §. 3. Gonzal. in cap. un. b. t. num. 8.*

TIT. XII.

De Homicidio voluntario, vel casuali.

146 **H**omicidium est violenta hominis occisio ab homine facta, cap. 41. 23. q. 5. L. 1. tit. 8. p. 7. ibi: *Homicidium en latin, tanto quiere decir en romance, como matamiento de ome.* Hominis occisio à fera, vel bruto facta non homicidium, sed pauperies dicitur ex Rubr. Inst. & ff. *Si quadrupes pauperem fecerit.* Homicidium, aliud est voluntarium, aliud casuale. *Voluntarium est, quod ex voluntate, seu animo occidendi, quomodocumque committitur.* Et dicitur etiam *dolosum.* Et potest fieri, vel directe, & est, quod quis committit expressè volens, & intendens hominem occidere: v. g. si pugione aliquem hoc animo percussit: vel indirectè, quod scilicet, quis committit, non expressè intendens occisionem; sed ponendo causam propinquam moraliter certò, & non tantum per accidens inferentem occisionem; v. g. si ubi multus populus est congregatus, aliquis scopulum splodat, vel sagittam emittat, & aliquis occiditur: vel si foeminam prægnantem quis graviter percussit, & sequatur abortus. Rursus: homicidium voluntarium, aliud est *justum*, seu *licitum*: aliud *illicitum*, & *injustum*. *Justum, & licitum*, quod etiam dicitur *necessarium*, est quod quis ad sui ipsius necessariam defensionem cum moderamine inculpatae tutelae, committit, cap. 18. h. t. L. 2. L. 3. L. 4. C. ad Leg. Corn. de Sicar. vel quod fit publica autoritate Magistratus habentis jus gladii ad delicta puniendâ. Vel si in bello justo fiat; imò & quilibet privatus potest occidere bannitum seu proscriptum. *Hispanè: Encartado*, in territorio Principis proscriptis. Ille enim dicitur bannitus, qui publica autoritate est declaratus reus mortis: nec ipsis bannitis licitum est se defendere, sicut reis ad mortem damnatis, qui ad supplicium deferuntur non licet occidere Ministros justitiæ, filii parentes, nec è contra, etiam bannitos, non possunt occidere: quia hoc repugnat charitati ex Jure Naturale ortæ. Nec Clerici in Sacris possunt bannitos occidere, cum non possit, etiam justè in causa sanguinis, sententiam proferre. *Lacroix L. 3. p. 1. n. 79. & 816.*

*Illicitum, & injustum est homicidium, quod extra dietas circumstantias, cum animo occidendi committitur, vel in rixa subito exorta, vel proditorie, vel ex insidiis, vel per assassinium, vel per veneficium, hoc est per veneni profectionem, vel alio modo indebito. Homicidium casuale est, quod præter intentionem committitur fit. Et est *omne casuale*, si nullo modo sit voluntarium; v. g. si non fuit periculum prævisum, vel ad periculum præcavendum diligentia sufficiens fuit adhibita, & sequatur ex actione, alias licita, & honesta, quæ cum periculo homicidii nullam habeat connectionem, ut constat ex c. 13. c. 14. c. 23. h. t. sic præter omnem intentionem Cephalus Procrim occidit: *Sum ratus esse feram telumque volatile nisi. Procrisrat.* Si verò homicidium sequatur ex actione, alias illicita, vel prævisio periculo non sit sufficiens diligentia ad illud avertendum adhibita, dicitur *casuale culpabile*, ut in cap. 7. cap. 19. h. t. cap. 38. D. 50. prædictas distinctiones asserunt. L. 13. L. 14. tit. 6. p. 1. L. 1. tit. 8. p. 7. & satis insinuatur in cap. 41. 23. q. 5. ibi: *Si homicidium est hominem occidere, potest tamen occidere aliquando sine peccato: nam & miles Hostem, & Judex, vel Minister ejus nocentem, & cui forte invito, atque imprudenti telum manu fugit, non mihi videntur peccare, cum hominem occidunt. Sed homicida isti appellari non solent. Cum homo justè occiditur. Lex etiam caecidit, non tu.**

147 Ad penas homicidii voluntarii injusti incurrendas, cum hoc odiosum sit, debet sequi mors in effectu; arg. cap. 4. de Cler. non resid. *Suar. de Censur. D. 44. sect. 2. Gonz. in cap. 11. h. t. n. 5.* Unde si mors per miraculum impediatur, vel postquam aliquis jam est mortuus, sapius ex rabie ab inimico percussatur, non erit homicidium; etiamsi truncet cadaver, & in partes secat. Deinde, est necessarium, quod simul cum morte, etiam animus occidendi conjungatur, ac proinde si præter intentionem sequatur mors: quia quis solim intendebat percussere, vel vulnerare, cum animus occidendi desit, non est homicidium directè, ac perfectè voluntarium. *Suar. de Censur. D. 44. sect. 1. n. 4.* Cum tamen animus, & propositum præsumatur, prout verba, vel facta declarant, adesse animum occidendi præsumitur, nisi occidens probet, talem animum adfuisse. L. 1. C. ad Leg. Corn. de Sicar. *Menoch. de Præsumpt. L. 6. p. 5. n. 2.* vel alia fortiori præsumptione

ipse occidens juretur; v. g. si sanguinem, vel amicum occidat, vel si instrumentum, quo occidit minus aptum sit ad hunc effectum; v. g. si clavi, aut cucuma percussit. L. 1. §. 3. ff. ad Leg. Corn. de Sicar. vel si manu occidat. *Gom. Var. 3. cap. 3. n. 17.* Tunc enim occidendi purgatio per juramentum indicitur. Licet enim antiquitus conatus, vel affectus ad occidendum, ut homicidium pupiretur. L. 7. L. 8. L. 9. C. ad Leg. Corn. de Sicar. Hodie tamen consuetudine universali conatus, etiam quando ad proximum actum pervenit, non ordinaria homicidii, sed alia extraordinaria poena plectitur. *Clar. §. fin. q. 92. n. 2.*

148 Jure Civili homicidium, etiam si non sit qualificatum. Hodie poena mortis plectitur, §. 5. *Inst. de Public. judic.* & quidem indistinctè, nulla habita ratione ad nobilitatem, sicut antiquitus in L. 3. §. 5. ff. ad Leg. Corn. de Sicar. L. 5. tit. 8. p. 7. hæc enim mortis poena, etiam Jure Divino in homicidas pronuntiata est. *Gen. 9. v. 6. Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Levit. 24. v. 17. Qui percusserit, & occiderit hominem morte moriatur. Matth. 26. v. 52. L. 3. tit. 23. lib. 8. R. C. ibi: Mandamos, que qualquier que matare á otro, aunque lo mate en pelea, que muera por ello, salvo si lo matare defendiéndose.* Si aliquis alium vulneraverit, qui post aliquod intervalum est mortuus, si depositione Medicorum, vel Chirurgorum, qui sub juramento suam opinionem syncerè edicere tenentur, vulnus erat lethale, aggressor; ut homicida punitur, nulla habita ratione malæ curationis, vel aliarum circumstantiarum, cap. 18. h. t. Si liquido constat, vulnus non esse lethale, sed ex imperitia, vel negligentia, vel alia causa vulneratum periisse, absolvitur aggressor à poena ordinaria. Idem est, si dubium sit, an vulnus sit lethale. Siquidem, quando de vita hominis agitur probationes dubiæ non sufficiunt ad mortis poenam decernendam. *L. fin. C. de Prob. & melius est in dubio absolvere nocentem, quam innocentem condemnare. L. Absentem, 5. ff. de Penis.* Si plures ex conditio, & communi consilio ad homicidium concurrant, etiamsi unus tantum occidat, omnes poena ordinaria homicidii puniuntur. L. 3. ff. ad Leg. Jul. d. *Vi privat. Gonzal. in cap. 18. h. t. n. 4.* Si tamen in rixa subito exorta plures contra aliquem insurgant, si de occisore constet ipsæ poena ordinaria, cæteri ex

traordinaria plectuntur. Si non constet, neque per tormenta, vel alias probationes veritas possit detegi, omnes attentis circumstantiis poena extraordinaria puniuntur: nullus tamen propter incertitudinem poena mortis plectendus est. *Gonz. in cap. 18. h. t. n. 4. Clar. §. Homicidium, n. 38. Covarr. in Cl. Si furiosus, h. t. p. 2. §. 2. num. 5.* Si homicidium sit omnino casuale, nulla poena punitur. Si aliqua culpa fuit in causa pro qualitate culpæ imponitur poena. L. 12. L. 13. tit. 23. lib. 8. R. C. Qui in ebrietate aliquem occidit cum prævisione talis occisionis poena extraordinaria plectitur. L. 6. §. 7. ff. de Re milit. non verò poena ordinaria Legis Corneliæ, quia hæc solum homicidio commisso ex proposito, & dolo imponitur. L. 1. §. 1. & 3. L. 7. ff. ad Leg. Corn. de Sicar. secus est si animo occidendi, se in ebriavit. L. 6. §. 7. ff. de Re milit. *Covarr. in Cl. Si furiosus, h. t. p. 3. n. 4. Clar. §. fin. q. 60. n. 12. Menoch. de Arbitr. cas. 326. n. 3.* Qui calore iracundiæ alterum occidit, regulariter non liberatur à poena ordinaria homicidii; arg. L. 16. §. 2. ff. de Penis: nisi ira usum rationis pervērat: quod raro præsumitur: tunc enim poena mitiori punitur. Poena ordinaria homicidii punitur, qui Titium volens occidere, occidit Cajum: nam talis ignorantia non tollit malitiam respectu homicidii in genere. *Covarr. in C. Alma, p. 1. §. 10. n. 4. Gonz. in cap. 11. h. t. n. 12.*

149 Homicidium præmeditatum, quod cum deliberatione, & occidendi proposito fit, quia atrocissimum crimen, quam homicidium simplex est, ideo etiam gravius punitur. Tale potest fieri. 1. *ex insidiis*, quando scilicet, ex dolosa machinatione, in necem alterius fit more latronis, qui improviso invadit prætereuntem. 2. *Proditorie*, quando scilicet, non precisè per insidias, & dolum occidit, quis eum, qui dampnum non timeret; sed occidit sub specie amicitiae incautum, & nihil præcaventem. In nostra Hispania sic punitur. L. 10. tit. 23. L. 8. R. C. ibi: *Tudo hombre, que matare á otro á traicion, ó aleva, arrastrenlo por ello, y enforquenlo: y todo lo del traidor ayalo el Rey, y del alevoso aya la mitad el Rey, y la otra mitad sus herederos: y si en otra guisa lo matare sin derecho, enforquenlo, y todos sus bienes hereden sus herederos, y no peche el homicillo. Et in L. 10. tit. 26. lib. 8. R. C. dicitur: Otrrosi, todo hombre, que ficieren muerte segura, cae en caso de aleva,*